

recordatione suavitate nostram non desinit consolari captivitatem. Exsultet in Domino spiritus Malachiae, quod levatus pondere corporeae molis, nulla jam faeculenta vel terrena materia praegravatur, quominus tota alacritate ac vivacitate corpoream omnem et incorpoream transiens creaturam, pergat totus in Deum, et adherens illi, unus sit cum eo spiritus in aeternum.

7. Domum istam decet sanctitudo, in qua tantae frequentatur memoria sanctitatis. Sancte Malachia, serva eam in sanctitate et justitia, misertus nostri, qui inter tot et tantas miseras memoriam abundantiae suavitate tuae eruclamus. Magna est super te divinae dispensatio pietatis: qui te parvum fecit in oculis tuis, magnum in suis; qui magna fecit per te, salvans patriam tuam, magna fecit tibi, introducens te in gloriam suam. Festivitas tua, quae merito tuis virtutibus votiva impenditur, tuis nobis efficiatur meritis et precibus salutaris. Gloriam sanctitatis tuae, quae a nobis frequentatur, continuatur ab angelis, sic erit nobis digne jucunda, si fuerit et fructuosa. Liceat nobis aliquas, te migrante, retinere reliquias de fructibus spiritus, quibus onustus ascendis qui in tuo hodie tam delicioso convivio cogregamur.

8. Esto nobis, quaesumus, Malachia sancte, alter Moyses, vel alter Elias, impertiens et tu de spiritu

A tuo nobis: ipsorum siquidem in spiritu et virtute venisti. Vita tua, lex vitae et disciplina; mors tua, mortis portus, et porta vitae; memoria tua, dulcedo suavitate et gratiae; praesentia tua, corona gloriae in manu Domini Dei tui. O oliva fructifera in domo Dei! o oleum laetitiae unguens et lucens, fovens beneficiis, coruscans miraculis! fac nos ejus, qua frueris, lucis suavitateque participes. O odoriferum liliu, in aeternum ante Dominum germinans, et florens, et spargens ubique vivificum suavitate odorem, cujus apud nos memoria in benedictione est, apud superos praesentia in honore! da canentibus te tantae plenitudinis participio non fraudari. O luminare magnum, et lux in tenebris lucens, signorum radiis et meritorum illuminans carcerem, laetificans civitatem! fuga de cordibus nostris, virtutum splendoribus tenebras vitiorum. O stella matutina, eo caeteris clarior, quo Diei [*alias*, Deo] vicinior, similior soli! dignare praere nobis, ut et nos in lumine ambulemus, quasi filii lucis, et non filii tenebrarum. O aurora diascens super terram, sed superiores caeli plagas lux meridiana perlustrans! recipe nos in consortio luminis, quo illuminatus et late foris lucet, et intus suaviter ardes, praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre **1010** et Spiritu sancto regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI SERMO.

De exemplis obedientiae.

1. Puto, sermonem a nobis expetit tam vester iste conventus, quam adventus, harum honorabilium personarum, quas de longinquo gratulamur adesse. Sane audirem eos ipse libentius: sed quoniam eligunt, imo et exigunt magis ut loquar, mihi si non licet audire eos, eis necesse est obaudire. Et quidem vivus est nobis sermo tam multa mansuetudo eorum, qua videlicet meritis sanctiores, dignitate superiores, sapientia locupletiores, non modo ad visitandos, sed etiam ad audiendos nos dignati sunt declinare. Efficax eruditio, et omni digna acceptione doctrina. Siquidem non verbo et lingua, sed opere et veritate nos admonent imitatores suos esse, sicut ipsi sunt Christi; et discere quod ab ipso utique didicerunt, mites esse, et humiles corde. Sic Maria Elisabeth petiit (*Luc. i, 39, 40*), conjugatam virgo, ancillam domina; praecursoris matrem, iudicis mater; Dei Genitrix, servuli genitricem. Sic postmodum Jesus etiam ipse Joannem adiit, et adiit baptizandus, utpote quem decebat implere omnem justitiam (*Matth. iii, 13, 15*). Vos quoque, reverendi Patres, deteriorem vobis non facitis partem vestram [*alias*, deteriorem nobis facitis partem nostram]: ad audiendum quippe quam ad loquendum velociores, etiam inter ipsos qui vestro magis eguerant documento. Nam nos quidem, quia omnem non possumus implere justitiam, vel nonnullam vobis exhibere curamus, justum esse non ignorantes inferiorem superioribus obedire.

PATROL. CLXXXIII.

2. Sed unde loquemur? *Qui de terra est, de terra loquetur*, ait vox illa clamantis (*Joan. iii, 31*). De terra ergo loquamur, quia de terra subsistimus, et in terra. Audite, quique terrigenae et filii hominum: vobis dicimus, et de vobis. In terra orimur, in terra moramur, in terra morimur, revertentes in eam unde sumus assumpti. Hic nobis angustus introitus, mora brevis, sola mors certa. Cogitur totus Adam iudicium portare quod meruit. Dilatatus est vehementer, multiplicatus est, et replevit terram. Attamen velit, nolit, quantumcunque recalcitret, universus adhuc fert sententiam quam excepit: *Terra inquit, es, et in terram ibis* (*Gen. iii, 19*). Gravis equidem sententia, sed non sine grandis misericordiae temperamento. Dura admodum, sed si merita penses, indulgentiae plena. Siquidem non minus juste peccanti diceretur: *Terra es, sed ex hoc sub terram ibis*. Justus foret etiam tunc justus Dominus, et laudabilis nimis. Dignus plane qui laudaretur, sed non ego idoneus qui laudarem. Alioquin tunc quoque nihilominus vere dicerem, si tamen dicere possem: *Justus es, Domine, et rectum iudicium tuum* (*Psal. cxviii, 137*). At non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te; sed nos qui vivimus, benedicimus Domino. Pepercisti ergo creaturae tuae, pepercisti gloriae nominis tui, ut descendente de Jerusalem, minime tamen usque in Jericho patereris abduci. Semivivus adhuc relictus in via semilaudare possum (*Luc. x, 30*): ubi totus

vixero, ibi totus erumpam in laudem, et dicent omnia ossa mea : Domine, quis similis tibi (Psal. xxxiv, 10)? Propter hoc nempe cum iratus fuisses, misericordiæ meministi, non damnans hominem in loco perditionis, sed in loco afflictionis humilians. Quid causaris, homo? quid sententiam quereris duriores? Terræ addictus es, factus e terra, ut ipsa tibi sit patria, quæ materia fuit.

3. Sed audire, inquires, velim: Quia spiritus es et ad spiritum ibis. Siquidem etiam spiritus sum, quod ad animam pertinet; nec portionem hanc meæ dubitaverim potiorē. Audivi sane ab Apostolo, quia Dominus spiritus est (II Cor. ii, 17), et ab ipso Domino, quia spiritus est Deus (Joan. iv, 24) Nec modo spiritus, sed et spirituum Pater. Utquid ergo tenet me mater carnis, quia caro ex parte; **1050** spirituum Pater non recipit, cum ex parte sim spiritus? Scio, scio, agit hoc non tam substantia ipsa, quam culpa. Sicut enim peccatores spiritus inter cælum et terram ventosum hoc medium tenent, unde et potestates hujus aeris nominantur (Ephes. ii, 2); sic peccata nostra inter nos et Deum separant, inter Creatorem Patremque spirituum, et spiritualem utique creaturam. Traxit animam corpus in regionem suam, et ecce prævalens opprimit peregrinam. Factum est nempe talentum plumbi, non aliunde tamen, nisi quia sedet iniquitas super illud. Corpus enim aggravat animam, sed utique quod corrumpitur (Sap. ix, 15); corrumpitur autem, imo etiam, Apostolo teste, mortuum est propter peccatum (Rom. viii, 10). Itaque licet quodam modo cælum sit homo, cœlestibus sine dubio spiritibus similis, simul et forma; substantia quidem quoniam spiritualis, forma vero quia rationalis est: minime tamen jam levare eum duo ista sufficiunt, ut mereatur audire: Quia cælum es, et in cælum ibis. Frustra gloriatur de libertate arbitrii, quæ in mente est: captivus ducitur in legem peccati, quæ in carne est. Nam et si forsitan videretur duplex funiculus posse alteri æque duplici prævalere, ut videlicet quem sibi terra gemino quodam jure tanquam patria pariter et materia vindicat, ob geminam nihilominus, quæ prædicta est, substantiæ scilicet et formæ similitudinem, cælum quoque recipiat ut cœlestem; sed jam triplicatus inferior ille et deorsum trahens peccato equidem accedente funiculus, nisi illinc quoque occurrerit gratia, non rumpetur. Sane ubi illa adfuerit, haud dubium quin solvatur facile gravis iste quo trahimur, imo quem trahimus, funiculus iniquitatis. Hæc enim inter nos et Deum non separans intervenit, sed reparans et conjungens.

4. Itaque ibo mihi ad montem gratiæ, et colles miserationum, quarum thesauros omnes repositos audio penes Christum. Ibo ad eum qui est plenus gratiæ et veritatis, si forte accipiam aliquid de plenitudine illa, imo si forte accipiar in plenitudine illam: ut cum cæteris aliquando membris occurram in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Nemo quippe ascendit in cælum, nisi qui descendit

de cælo (Joan. iii, 13). Fidelissimus plane et benignissimus mediator, qui quidem non discrevit, sed fecit utraque unum, medium parietem maceriæ solvens (Ephes. ii, 14), donans nobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci; exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos (Coloss. ii, 13-15), pacificansque per sanguinem suum quæ sunt in cælo, et quæ super terram (Coloss. i, 20). Propter hanc nempe salutem, quam in medio terræ erat operaturus, non confestim sub terra posuit hominem, sicut peccando meruerat; sed in terra. Siquidem respirandum est nobis, et nullatenus desperandum, donec in terra adhuc interrim constituti, et suspicere cælum possumus, et suscipere data optima et dona perfecta desursum a Patre luminum, a Patre spirituum, a Patre misericordiarum. Nam et propterea rectum fecit hominem, etiam corpore ipso, et os homini sublime dedit, cum prona utique spectent animantia cætera terram: ut attollens ad sidera vultus illo suspiret, ubi tam beatam et perennem conspiciat mansionem.

5. Nonne enim pie et fideliter intuentibus nobis vehementissimum quoddam incentivum amoris, et provocatio flagrantissimi desiderii est visio ipsa tam lucidissimæ regionis? Non sunt stellæ cœli similes glebis terræ. Inter splendorem solis, et caliginem soli hujus, non parva distantia est. Forte tamen hic quoque nonnulla, sed in suo genere pulchra videntur: et hæc ipsa undique mista non pulchris, ut aurum in luto, gemma in sterquilinio, liliū inter spinas. Tota pulchra es, patria mea, et macula non est in te: tota pulchra es, absque eo quod intrinsecus latet. Quid illud? Nempe illi beati angelici spiritus, et animæ ipsæ sanctorum, quæ jam ingredi meruerunt in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Sicut enim **1051** sunt corpora terrestria, sunt et corpora cœlestia; longe vero alia est cœlestium gloria, quam terrestrium: sic sunt cœlestes spiritus et terrestres, nec minor sane distantia inter eos: Angeli, archangeli, virtutes, principatus, potestates, dominationes, throni, cherubin atque Seraphin. Bene nomina novi. Forte hoc totum est. Quid enim amplius capiam terrigena de cœlestibus, carnalis homo de spiritualibus et divinis? Verumtamen etsi ignoro quid lateat in his tantis appellationibus, illud equidem certissime novi, quod magnum et mirabile aliquid sub hac tanta verborum majestate clausum sit et signatum. Non sine causa cælum hoc dicitur: plane eximium nescio quid celatur in eo. Celatur, inquam, sed tamen non negatur fidei usquequaque. Videre enim nobis datur in terra ipsam exteriorem cœli pulchritudinem, non adire; internam quoque gloriam secretorum ejus, etsi non comprehendero, conceditur vel audire. Videmus patriam, sed a longe salutamus; odoramur illas delicias, non gustamus.

6. Enimvero non sine causa Unigenitus, qui est

in sinu Patris, ipse nobis in regione hac umbræ mortis, quam inhabitamus, cœlestium gloriam spirituum sane per fidem enarrat, corporum vero per speciem manifestat. *Audi*, inquit, *filia et vide*. Et factum est. Quorsum ista? *Inclina*, ait, *aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui (Psal. XLIV, 11)*. Vult nos ponere contumaciam, discedere obedientiam, apprehendere disciplinam. Vult etiam nos oblivisci posteriora, despiciere inferiora, terrenos mores et vitia genuina [*alias*, vitiata germina] deserere cœlestia sapere, superna quærere, anterioribus inhiare. Vult et illum tantum decorem domus suæ ingenuam concupiscere creaturam, quo scilicet in eandem imaginem transformetur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu; ac proinde concupiscat etiam rex decorem illius, utique spiritualem. Sed in quo visus ille, inquires, vel auditus inclinare me aurem, et obaudire monet? Nam quod desiderium pariat, manifestum est.

7. Sane ergo considera universam hanc cœlestium gloriam corporum incessanter legibus obtemperare divinis, nec unquam sibi positas in tam continuis motibus metas excedere temporum, aut locorum terminos transgredi constitutos. Sed et ipsos spiritus tam sublimes audi omnes administratorios esse, et in ministerium mitti dignantissimum, ut ne indignum dicam: minime tamen, puto, reperies in Scripturis aliquando quemquam illorum vel contradixisse mittenti, vel erga ipsos tam inferiores se, propter quos in ministerium mittebantur, saltem tenuiter fuisse commotum. Exempla sunt obedientiæ, si diligenter attendas, eo sane acceptabiliora quo in materia digniori. Sed novi quid ad ista submurmuret sensus hominis, et cogitatio prona semper ad malum. Quid tu mihi, inquit, elementorum proponis obedientiam supernorum? Quasi vero aut sensus ullus in eis, aut ulla vigeat deliberatio rationis, et non potius agi ipsa, quam agere videantur. Quid vero vel ipsorum angelorum obedientiam sic commendas? Sentiant quidem angeli, sed delectabilia sola; obedientes equidem Creatori, sed tam felici quam facili voluntate. Quidni obediant? Semper enim vident faciem Patris, quem videre perfecta beatitudo, æterna gloria, summa voluptas est.

8. Produca nobis, Domine, patriarchas et prophetas, viros obedientes præceptis tuis, obedientes ex voluntate, obedientes contra propriam voluntatem. Factum est. Exhibetur nobis, ut cæteros brevitatis causa præteream, exhibetur, inquam, nobis Abraham ad præceptum Domini exiens de terra sua, eiciens ancillam et filium ejus, etiam charissimum filium Isaac immolare paratus. Quid hic humana astutia poterit cavillari? Forte respondeat, quoniam multifarie, multisque modis apparens ei Deus, suscipiebatur hospitio, participabat convivio, amabat alloquio, instruebat consilio, donabat filiis, illustrabat victoriis, 1050 divitiis cumulabat. Quid dices, cum venerit Christus factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis? Multum,

A inquit, per omnem modum. Quando enim Unigenitum Dei Patris, Dei virtutem, et Dei sapientiam Christum, quando præmuserem æmulari? Oblatus est quia ipse voluit, quando et quantum voluit passus est, utpote verus quidem homo, sed verus nihilominus Deus. Imo vero ne ipsam apostolicam obedientiam afferas velim; quos nimirum juxta prophetam promissionem oculis suis vidisse constat præceptorem suum, et auribus suis vocem audisse momentis (*Isai. xxx, 20, 21*). Unde et unus eorum expressius scribens ait: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ (Joan. i, 1)*. Quidni relinquerent omnia? quidni ad omnia sequerentur tantæ præsentiam majestatis? Quid ego non facerem, si mihi eadem copia præstaretur? Sed non fecit taliter omni nationi, non præeunti utique, non sequenti. Si quidem ut multi reges optaverunt videre, et non viderunt; sic nihilominus venerunt jam dies, quando desideremus videre diem unum Filii hominis, nec tamen mereamur.

9. Opportune ergo jam Martinus ad medium veniat, ut de medio fiat occasio peccatorum. Hodie enim ille per omnia similis nobis, plane et sensibilis, et passibilis; sed et longe post illa patriarchalium et prophetarum tempora visionum, et homo purus, nihil de natura divinitatis habens, credens autem in eum quem non vidit; plenus fructu obedientiæ, et virtutum locuples, solum deseruit, polum subiit, terræ commendans quod habebat e terra; spiritum dirigens ad Patrem spirituum, cui fideliter in adoptionis spiritu deservivit. Non fuit cœleste corpus, sed nec spiritus quidem cœlestis: rationale animal, etiam et mortale, terrigena, filius hominis. In terra natus est, in terra educatus, in terra exercitatus et probatus, in terra etiam consummatus. Nec vero patriarcha erat, aut unus ex prophetis, de quibus sane in Evangelio Veritas ait: *Quia Lex et Propheta usque ad Joannem (Matth. xi, 13)*. Multo magnis non erat ipse Christus; sed erat tamen Christus in ipso, haud aliter utique quam per fidem.

10. Enimvero juxta hunc modum etiam modo *prope est verbum in corde tuo et in ore tuo (Deut. xxx, 14)*, tantum si recto quæsieris corde. Nempe Apostolo interpretante *verbum fidei* istud est (*Rom. x, 8*), de quo Moyses ait. Unde et alibi idem apostolus: *Jesus Christus, inquit, heri, et hodie, et in æternum (Hebr. xiii, 8)*. Hesternum quidem ab initio sæculi usque ad ascensionem Dominicam; hodiernum vero diem exinde usque ad sæculi consummationem; porro in æternum intellige post communem omnium resurrectionem. Nulli horum deest Christus nulli deest Jesus; nulli deest unctio, nulli salus. Patriarchis et prophetis in visione exhibitus est, apostolis in humanitate, Martino in fide, angelis jam in specie. Quam sane speciem et electis omnibus ostensurum sese promisit, non quidem hodie, sed in æternum. Denique jam transierat heri, jam istud nostrum illuxerat hodiernum cum Apostoli loquerentur: *Etsi cognovimus Christum secundum carnem,*

sed nunc jam non novimus (II Cor. v, 16). Videtur tamen etiam in hoc mane de carnibus Agni nonnihil esse servatum : sed quod residuum est, utique jam datur igni; quod videlicet usque hodie eadem caro nobis, sed spiritualiter utique, non carnaliter exhibeatur.

11. Neque enim est quod causemur nostro huic negatam tempore, sive eam quæ ad patres veteris Testamenti facta est apparitionem sive eam quæ apostolis exhibita est præsentiam carnis ejus. Siquidem fideliter considerantibus neutram deesse liquebit. Adest enim nobis etiam nunc carnis ipsius vera substantia, haud dubium sane quin in sacramento. Adsunt revelationes, sed in spiritu et virtute ut tempore gratiæ, quod nunc est, nihil in ulla gratia deesse probetur. Denique nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se, nobis tamen revelavit per Spiritum **1053** suum. Nec mireris quod carnales eis manifestationes exhibuit, qui carnalem ejus præstobantur adventum. Nobis enim tanto efficacior gratia et revelatio dignior necessaria est, quanto nimirum excellentiora constat esse quæ expectamus.

12. Itaque, ut supra diximus, Martinus iste Christus non fuit, sed tamen Christum habuit : non quomodo angeli in præsentia majestatis; non quomodo apostoli in visionem humanitatis; non quomodo olim locutus est in visionem sanctis suis : sed quomodo eum etiam nunc habet Ecclesia, in fide et sacramentis. *Non erat ille lux* (Joan. i, 8), sed *lucerna plane ardens et lucens* (Joan. v, 35), de Joanne dictum est. Sed in illum protulero, puto, dicitis : Maximus hominum est, plus quam propheta est, etiam angelus est Dei Patris, sicut ipse testatur : *Ecce mitto angelum meum* (Luc. vii, 27), etc. Et Martinus lucerna erat ardens et lucens : eum saltem non pigeat imitari; sed imitari in eo quod est imitabile, non autem quod mirabile exhibetur. *Ad mensam divitis sedes* hodie; *diligenter considera quæ tibi apponuntur*. Discerne inter cibos, et vasa ciborum. Illos enim juberis tollere, sed non illa. Dives est iste Martinus; dives in meritis, dives in miraculis, dives in virtutibus, dives in signis. Diligenter ergo considera quæ apponuntur tibi; quænam videlicet ad admirationem, quæ vero ad imitationem. Aut certe quia sequitur in Scriptura illa, *quoniam talia oportet te præparare* (Prov. xxiii, 1, 2, juxta LXX); diligenter considera quid apponitur, et in quo. Suscitavit Martinus tres mortuos, quot nimirum Salvatorem legerat suscitasse. Reddidit visum cæcis, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, aridis sospitatem. Evasit divina virtute pericula, proprii corporis obice flammam repulit, immanem sacrilegæ machinæ molem columna parili e cælo descendente prostravit, leprosum mundavit osculo, curavit oleo paralyticum dæmones vicit, angelos vidit, futura prævidit.

13. Verum hæc quidem, cæteraque ejusmodi altissima quæ fecit magna, quidni mirifica quædam vasa dixerim divitis hujus, auro gravia, gemmis micantia, pariterque materia et opere pretiosa? Noli

in his saporem quærere, sed mirare splendorem. Luceat in hujusmodi lucerna nostra ut in lumine ejus videamus lumen, quod quidem purum, prout in se est, necdum prævalens intuerit. Non enim est iste lux, sed ut testimonium perhibeat de lumine et appareat tibi interim gloriosus Deus in sancto suo, dum non potes ad gloriam ejus, sicut est in se ipso. Cæterum ne putaveris ornatas quidem Martini lampades, sed vacuas inveniri : non est fatua virgo, habet in vasis oleum. Habet vinum in phialis, habet intra paropsides istas ciborum copiam, delicias utique spirituales : ut [non modo videant et mirentur, sed edant pauperes, et saturentur; atque in illis quidem Dominum laudent, porro in his vivant corda eorum. Alioquin quomodo mortui laudabunt te, Domine? Ut ergo sit jucunda decoraque laudatio in admiratione, etiam vivant ex imitatione; et, ut avidius sumant delicias, ipsas quoque divitias curiosius contemplantur. Sic nimirum inter splendorem et fervorem lucernæ hujus vicarii quibusdam affectibus discurrendum, ut nobis alter ex altero commendetur, et ex mutua collatione uterque complacitior fiat. Siquidem humilis fuit et spiritu pauper iste Martinus, sicut evidentissime probat effectus ipse divini gratiæ, quam profecto tam multam nisi multum humili non dedisset.

14. Ut tamen pauca virtutum ejus indicia promam, pauperem illum spiritu beatus novit Hilarius, cum imponere ei diaconatus officium tentans, nec prævalens, quod indignum sese vociferaretur, exorcistam eum esse præcepit : in quo quidam locus injuriæ videretur, sciens nimirum quod humiliorem ordinationem minime repudiaret. Pauper fuit, veste sordidus, crine incultus, facie despicibilis : quæ quidem licet in electione ejus, a quibusdam malevolis objecta fuissent, **1054** in ipso tamen episcopatu, sicut scriptum est, penitus non mutavit (SULPIT. *De vita Mart.*, cap. 7). Denique quia vere pauper fuit spiritu Martinus, pauper et modicus meruit nominari. Audi vero mansuetudinem ejus, suo illo Sulpitio sic scribente : « Tantam adversus omnes injurias patientiam assumpserat ut cum esset summus sacerdos, impune etiam ab infimis clericis læderetur : nec propter in eos aut loco unquam amoverit, aut a sua, quantum in ipso fuit, charitate repulerit (Id. *Dial.* iii, cap. 20) : » quod quidem in Briccio manifeste probatum, omnes vos arbitror meminisse. Eum nempe ex omnibus sibi successorem elegit, et de tanta post futura adversitate præmonuit : postremo in fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, ad cujus os aures suæ fuerant, cum responderet homini, qui de eo sciscitabatur : Si illum delirum quæris, prospice eminus; ecce cælum solito sicut amens respicit. Crebro siquidem homo Dei, utpote terram despiciens, cælum suspiciebat. Nempe sciebat ad hoc sese (ut supra meminimus) rectam et in ipso corpore accepisse staturam. Sciebat illic esse thesaurum suum, sciebat illic sedere in Patris dextera Christum suum, sciebat nunquam sese, donec illuc perveniret, quod desiderabat assecuturum. Unde et hoc ipsum, quod delirus

vocabatur in terra merito non attendit, cujus nimium conversatio esset in caelis, cujus oculi in capite suo. Sane illuc etiam lacrymæ ejus a maxilla ascendere consueverant, quibus sic abundabat, ut soleret pro illorum quoque, qui obtrectatores sui videbantur, flere peccatis.

15. Sane quantum justitiam esurierit, tum in cæteris ejus actibus, tum specialiter in idololatriæ persecutione probatum est, in templorum destructione, in statuarum dejectione, in succisione lucorum. Ubi se quoque aliquando non est veritus dare discrimini, ut occasio tanti criminis de medio tolleretur. Nam misericordem eum in paupere se expertem Salvator ipse apud angelos gloriabatur, datam sibi medietatem vestis ostentans. Utinam nobis etiam miseris apud summum judicem, in cujus admirabile tabernaculum introivit, misericordiam illam exhibere dignetur; qua et illos olim morti destinatos, et tormentis variis deputatos eripuit pro quibus ante terreni judicis januam nocte media scribitur jacuisse. Quomodo enim non audiet eum nunc, qui tunc quoque fecit audiri? Porro munditiam cordis ejus illud vel maxime indicat, quod non est confusus inimico loquens in porta: « Nihil in me, funeste, reperies; Abrahæ me sinus recipiet. » Nam in opere pacificorum feliciter plane consummans labores suos, licet dierum suorum finem non ignoraret, clericos tamen adiit dissidentes, inter quos reformata pace, in pace ipse quievit.

16. Cæterum persecutione, quas sustinuit propter justitiam, longum est numerare, quomodo apud Julianum Augustum in civitate Wangionum intrepidus, imo et illato terrore constantior; custodiæ mancipatus est, ut lincermis postero die barbaris opponeretur; quomodo circa Alpes sub securi, quam in verticem ejus latro vibrabat, securissimus fuit; quomodo illum Mediolani Auxentius Arianus graviter insectatus, multisque appetitum injuriis, tandem de civitate exturbavit; quomodo et alibi prius adversus sacerdotum perfidiam acurrime pugnans, suppliciiis fuit affectus, publice virgis cæsus, inde quoque exire compulsus est; quomodo item in cujusdam fani eversione, cum gentilis eum stricto gladio peteret, nudam cervicem præbuit percussuro donec ille extollens ad ictum dexteram, cecidit resupinus; quomodo alter eum cultro ferire voluit, sed ferrum de manibus ejus elapsum, repente disparuit. Pro quibus omnibus dubium non est multipliciter coronari eum, qui quidem etsi non semel effectu consummatæ passionis, sed toties martyr fuit affectu devotissimæ voluntatis. Comedite jam, amici et bibite; et inebriamini, charissimi. Sic enim et vivitur, et in talibus vita spiritus vestri. Nisi forte beatorum prædicat sermo divinus, qui mortuos suscitant, cæcus illuminant, morbosos sanant, leprosos mundant, paralyticos curant, dæmonibus imperant, futura prænuntiant, miraculis coruscant; et non magis pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes et sitientes justitiam, misericordes, mundicordes, pacificos, persecutionem propter justitiam sustinentes.

17. Ignoscite mihi, fratres: exemplum obedientiæ paulo minus præterivi, quod quidem vel solum juxta propositum ordinem in Martino quoque nobis convenit exhiberi. Sane moram facimus, sed, ut arbitror, bonum nos hic esse; tardius enim hodie venimus ad Martinum. « Domine, inquit, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua (74). » O vere sanctissimam animam! o inestimabilem charitatem! o obedientiam singularem! Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti; de reliquo superest tibi corona justitiæ, quam reddet tibi Dominus hodie justus judex; et adhuc dicis: Non recuso laborem, fiat voluntas tua! Obtulisti plane Isaac; unicum illum quem diligis, quod in te est, jugulasti immolasti singulare gaudium tuum pia devotione, paratus redire iterum in pericula, innovare certamina, denuo subire laborem, sustinere tribulationem, prolongare tentationem, deinde differri adhuc ab illa tanta felicitate, et diu desiderata societate spirituum beatorum, atque in hujus mortalitatis ærumnas ab ipso introitu gloriæ revocari; postremo, quod maximum est, a Christo tuo peregrinari diutius, si modo ipse voluisset. Nec sane dubium quin ampliorem gratiam mereatur, qui paratum se exhibeat etiam ante mandatum quam qui obedire satagit post mandatum. Magna quidem obedientia vestra, angeli sancti; sed quod dicere audeam pace vestra, nescio an inveniatur in vobis quisquam paratus in tale aliquando ministerium mitti, in quo necesse habeat non videre faciem Patris. Magnum est, Petre, quod Dominum secuturus omnia reliquisti; sed audi vi te in monte dicentem, ubi transfiguratus est coram vobis: *Domine, bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula* (Matth. xvii, 4). Non est hoc. « Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. » Paratum cor tuum, Martine, paratum cor tuum, sive manere de corpore, sive dissolvi et esse cum Christo.

18. Et magna quidem in horrenda morte securitas; magna in visione Christi desideranda, et tam ferventer ac singulariter desideranda perfectio reperitur: sed id quidem longe amplius per omnem modum, quod qui mori non metuis, imo qui tanto desiderio præsentiam Domini concupiscis, vivere quoque non renuis, et expectatione molestissima fatigari. In quo enim alio non obedire potuerat, qui in hoc tanto articulo tam devote clamabat: « Fiat voluntas tua? » Hæc ergo pars nostra sit, fratres, in convivio hodierno, hanc nobis obedientiam in mensa pauperis, imo jam divitis hujus appositam diligenter consideremus, scientes quoniam ipsa est quæ a nobis exigitur, ipsa quam oportet nos præparare, ut singuli quique dicamus: Quia *paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua* (Psal. cxviii, 60). Nec modo semel, aut in parte; sed *paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (Psal. lvi, 8); paratum ad utrumque, et in nullo;

(74) (LULPIT. epist. 3 ad Bassul.)

